

perversionis matrimonium fidelis cum baptizato iterum profitente judaismum; quia vere est matrimonium baptizatae cum baptizato, nec supponitur aliud ob stare impedimentum. *La Croix* L. 6. p. 3. n. 644.

1307. III. Neque hoc impedimentum incurrit Catholicus contrahens matrimonium cum haeretica rite baptizata; quia simpliciter est matrimonium baptizati cum baptizata. Illicitum tamen esse, dictum est n. 1202. et 1128.

§. X. De impedimento vis seu metus.

1308. *Praenotanda*. Per vim hic intelligitur coactio omnimoda, et corporalis de praesenti illata reluctanti, et haec dicitur violentia, sive *vis absoluta*. Per metum vero, sive *vim conditionalem*, intelligitur trepidatio mentis ratione periculi instantis vel futuri, ideoque ex metu fieri dicitur, quod quis facit mali declinandi causa, alioquin non facturus. De metu gravi, levi, justo, et injusto vide P. I. n. 227.

1309. *Principium I*. Vis absoluta irritat matrimonium, v. g. si violente cogaris ad porrigendam manum, ita ut haec porrectio accipiatur pro signo contractus matrimonialis de praesenti, nullum est matrimonium; et quidem jure naturali, quia talis violentia omnem excludit consensum. Ita *Communis*. Vide dicta de consensu essentialiter requisito ad matrimonium num. 1177.

1310. *Principium II*. Impedimentum proveniens ex metu gravi et injusto directe ad extorquendum matrimonium incusso dirimit matrimonium. Ita *Communis* ex c. *Cum locum* 14. de sponsal. et matrim. Ibid. c. *Veniens* 15. ubi expressa fit mentio metus gravis: *nisi metu coactus, qui possit in constantem virum cadere, eam desponsaverit*. Item ex c. *significavit* 2. de eo, qui duxit. Requirit scil. Ecclesia consensum perfecte liberum ad matrimonium, eo quod matrimonia coacta, et ex mutuo amore non contracta infelices soleant habere exitus: ille autem contractus non est perfecte liber, ad quem directe metus determinat. Ex his resolves sequentem casum.

Rainerius deprehendit famulum suum Ranulphum cum ancilla Radegunda turpiter agentem, cui cum mortem stricto gladio post multa inflicta verbera minaretur, ni ancillam in uxorem duceret, Ranulphus, ut mortem evitet, matrimonium cum ea contrahit, quo contracto Rainerius statim cogit Ranulphum consummare matrimonium.

1311. Q. I. An validum sit hoc matrimonium? R. *Negative*; quia cum Rainerio nullum jus competat in vitam famuli, matrimonium illud contractum fuit ex gravi metu injuste incusso, et quidem ad illud extorquendum. *Quid?* si Rainerius tantum minatus fuisset famulum accusare apud judicem, ni duceret ancillam? R. Probabilius tum fuisset validum matrimonium, quia metus fuisset juste incussus. *La Croix* l. c. n. 653.

1312. Q. II. An evadat validum hoc matrimonium per copulam sequentem? R. *Negative*, quia pariter fuit coacta, et propter metum gravem adhuc defuit consensus perfecte liber. Tunc autem nullitas matrimonii ex metu initi sanatur, 1. quando sublato metu consensus sponte ponitur, et verbis, vel factis exprimitur, et hoc tenet in utroque foro; 2. praesumptive, et saltem pro foro externo metus purgatur per copulam sponte habitam, vel per diuturnam cohabitationem spontaneam, ut habetur in c. *ad id*. 21. de sponsal. et matrim. In foro autem interno sufficit cohabitatio momentanea sponte facta. Vide *Pichler* in tit. de sponsal. et matrim. num. 115., ubi porro addit, quod per modos mox relatos non sanetur haec nullitas, nisi pars metum passa sciat, matrimonium nulliter fuisse contractum, et

altera pars continuet suum consensum; quia nullitas ex defectu consensus legitimi orta non sanatur, nisi ponatur novus consensus, sed ab ignaro et errante non ponitur consensus, nec per copulam satis manifestatur: ergo.

1313. Q. III. An matrimonium metu gravi injusto initum jure naturali, vel tantum Ecclesiastico sit irritum? R. Probabilius juxta dicta n. 1206. solo jure Ecclesiastico: tum quia jure naturali ad valorem contractus plus non requiritur, quam consensus simpliciter voluntarius ac liber, et titulus: atqui stante metu manet consensus absolute voluntarius ac liber; metus enim voluntarium non tollit simpliciter, sed tantum secundum quid: praeterea etiam manet titulus, scil. traditio juris in corpus, quam in tali casu metum passus facit: ergo. Tum quia omnes alii contractus ex metu initi spectato solo jure naturali valent: ergo etiam spectato solo jure naturali valet tale matrimonium. Ita *Suar.* de Relig. tom. 2. t. 6. l. 1. c. 7. n. 20., *Sanch.*, *Laym.*, *Wiestner* et alii contra *Scotum*, *Covarr.*, *König* et alios.

1314. Praeterea *resolves I*. Non invalidat matrimonium metus ab intrinseco, v. g. a morbo proveniens, uti nec incussus a causis naturalibus v. g. naufragio, sed debet procedere a causa libera, et extrinseca; alioquin dicitur conceptus a metuente, et non incussus.

1315. II. An metus *reverentialis*, quo liberi parentibus, vel subditi dominis non audent contradicere ex reverentia, sit habendus pro gravi, vel levi metu, utrinque defenditur. Juxta probabiliorum *pure reverentialis* ex se gravis non est; fiet tamen gravis, si accedant graves minae, importunae preces, vel alia signa gravis offensae. *Pichler* hic n. 108.

1316. III. Si omnibus consideratis maneat dubium, an adsit sufficiens metus, quo illud reddatur invalidum, praesumendum est pro valore, tum propter favorem sacramenti, tum proliis, et reipubl.

§. XI. De impedimento ordinis.

1317. *Principium generale*. Ordo sacer, scil. Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus, dirimit matrimonium contrahendum solo jure Ecclesiastico, non vero dirimit jam contractum ante susceptionem ordinis, licet matrimonium sit tantum ratum. Dixi 1. *dirimit contrahendum*, ut eruitur clare ex c. *de Diacono*. 1. qui clerici, vel voventes. Item patet ex *Trid.* sess. 24. can. 9. cit. supra n. 1266. Dixi 2. *solo jure Ecclesiastico*, quia ordo sacer ex natura sua non repugnat statui matrimoniali. *Confirm.* ex c. un. de voto et voti redempt. in 6., ubi *Bonif. VIII.* declarat oraculo sanctionis, *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem etc.* In eodem c. supra dixerat, *quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa*. Dixi 3. *non dirimit contractum*, ut habetur in *Extrav. Antiquae*, Joan. XXII. de voto et voti redempt. Plura jam dicta sunt, ubi egimus de Sacram. Ord. a n. 1018. et seq.

Applicatio principii.

Romanus libere suscepit Diaconatum, sed quia in ejus susceptione expresse noluit se voto castitatis obstringere, dum legit et audivit, graecos Presbyteros habere uxores, hinc matrimonium nunc init cum Romula.

1318. Q. I. An validum sit hoc matrimonium? R. *Negative*; valor enim matrimonii non pendet a voluntate suscipientis, sed a constitutione Ecclesiae, quae hoc impedimentum ordini sacro libere ac valide suscepto annectit, et ordinatum inhabilem reddit ad contrahendum matrimonium.

Falsam quoque habuit notitiam de disciplina Graecorum, ut patet ex dictis n. 1020. Adde Constitut. *Bened. XIV.* de Dogmatibus et Ritibus ab Italo-Graecis tenendis, quae incipit: *Etsi Pastoralis*, tom. I. ejusd. Bullar. pag. 167. ubi §. 7. n. 17. ita statuit: *Praeterea, si quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena, aliisque nostro, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab ordine erit deponendus, et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum, nullum irritumque declaramus.*

1319. Q. II. Quid facere teneatur, qui post contractum matrimonium susceperit sacrum ordinem invita uxore? R. Juxta cit. Authent. *Antiquae*, si matrimonium necdum sit consummatum, inducendus est, ut profiteatur in Ordine Religioso; si noluerit, compellendus est etiam per censuras, ut omissis functionibus ordinis ad uxorem redeat, eique debitum reddat, petere autem non potest propter votum castitatis ordini annexum; imo uxore mortua nec potest transire ad alias nuptias propter impedimentum ordinis.

§. XII. De impedimento ligaminis.

1320. *Principium generale.* Matrimonium cum uno vel una valide contractum est de jure divino impedimentum dirimens matrimonii. Vocatur impedimentum *Ligaminis*, quia provenit ex eo, quod quis jam alteri matrimonio ligatus sit. Dixi, *de jure divino*; quia polygamia in L. N. jure divino prohibita est. Vide n. 1185. et Confirm. ex Apost. 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.*

Applicatio principii.

Sabinianus quotidianas rixas habens cum Sabina uxore discedit ab ea, et per 20. annos emanet; Sabina maritum mortuum credens nubit Salustiano; post aliquot annos in hoc putatilio matrimonio exactos ex certo quodam rumore dubitare incipit, an non adhuc vivat Sabinianus. Paulo post ille redit, cumque Sabinam jam alteri nupsisse videat, abit iterum, et alibi ducit uxorem.

1321. Q. I. An diuturna mariti absentia suffecerit ad hoc, ut Sabina alteri potuerit nubere? R. *Negative*; nisi aliae certiores circumstantiae accesserint: quia aequè probabile est, quod maritus, qui clam discessit, et quidem pertaesus rixas quotidianas, alibi vivat, et ex proposito non velit redire, sicut hic vixit uxor, et maritum ultro non quaesivit. Adde, quod ex longa conjugis absentia non resultet certitudo de ejus obitu, sed dubium: ideoque morte dubia manente, melior est conditio prioris matrimonii possidentis. *Sanch. L. 2. de matrim. d. 46. n. 1. Confirm. ex c. in praesentia. 19. de sponsal., ubi Clemens III. respondet: quod quantocumque annorum numero conjuges dubii ita remanent..... nec permittendi sunt contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

1322. Q. II. Quanta requiratur certitudo de morte conjugis ad hoc, ut conjux superstes possit transire ad alias nuptias? R. Requiritur certitudo moralis, et quidem tanta, ut nullo modo probabile sit, conjugem adhuc vivere; certa enim possessio, quae adest pro priori matrimonio, non eliditur in ordine ad contrahendum aliud, nisi per certitudinem moralem de morte conjugis. Talis censetur haberi 1. ex libro Parochi, cui inscribuntur nomina defunctorum: 2. ex productione testamenti a defuncto conditi; 3. ex testimonio virorum probatae fidei.

1323. Q. III. An sufficiat unus testis affirmans mortem conjugis? R. Regulariter non sufficit, quia non potest dici nuntium certum, quod voce unius habetur; vox enim unius in jure dicitur vox nullius, l. *jusjurandi.* vers. simili modo. c. de test. *Sanch.* tamen, *Palao* et alii censent, tunc testimonium unius sufficere, si aliis conjecturis fulciatur, v. g. si sit testis fide dignus, et juramento confirmet, se mortuum vidisse, et si ob loci distantiam major probatio haberi nequeat.

1324. Q. IV. An sufficiat communis fama de morte conjugis? R. *Negative*, quia fama est plerumque vana vulgi vox, et multi hodie vivunt, qui saepe dicti sunt mortui. Tunc autem fama sufficienter probat, 1. si saltem duo testes plene deponant, se audivisse a fide dignis, praecipue si testes sint, de quorum commodo non agitur. 2. Si is, de cujus morte dubitatur, mare navigarit, subortaque tempestate expectatus tempore congruo, et quaesitus non comparuerit, nec navis, qua ipse vehebatur; vel si in cruento praelio dicatur obiisse, et testes fide digni affirment, eum diligenter quaesitum, inventum non esse. *Sanch. l. c. n. 16.*

1325. Q. V. Quid in casu faciendum Sabinae, suborto illo dubio de vita conjugis? R. Si secundas nuptias bona fide contraxerit, tenetur mox diligenter inquirere, an adhuc vivat conjux; atque interim a petendo debito abstinere, quamvis reddere teneatur. Si vero et ipsa et Salustianus dubia, vel mala fide contraxerint, neutri licet vel petere, vel reddere debitum, quia pro neutro stat possessio juris ad debitum conjugale; haec enim cum mala fide non potest inchoari. Si vero una pars cum mala fide contraxerit, petere non potest debitum, tenetur tamen reddere.

1326. Q. VI. Quid Sabinianus redux debuerit agere? R. Debuisset repetere suam uxorem, quam certe per judicem obtinisset; non autem debuisset aliam ducere ob impedimentum ligaminis.

§. XIII. De impedimento publicae honestatis.

1327. *Princip. generale.* Impedimentum justitiae publicae honestatis (sic dictum; quia justum est, publicaeque honestati congruum, ut non carnaliter conjugatur is cum consanguineis talis personae, cum qua licet non carnaliter, tamen animo et promissione conjunctus est) quaedam affinitas est personarum jure Ecclesiastico introducta, quae primo oritur ex sponsalibus de futuro, sicque dirimit matrimonium inter consanguineos sponsae in primo gradu cum sponso, et inter consanguineos sponsi in primo gradu cum sponsa, ut dictum est ex *Trid. n. 1108.*; ideoque jure novo Tridentini vi hujus impedimenti sponsus tantum cum matre, sorore, et filia suae sponsae invalide contraheret matrimonium; sponsa vero itidem invalide contraheret cum patre, fratre, et filio sui sponsi. *Secundo*, oritur ex sponsalibus de praesenti, sive ex matrimonio rato tantum, et dirimit matrimonium usque ad quartum gradum; ita ut maritus, defuncta uxore, licet eam non cognoverit, invalide contrahat cum consanguineis defunctae usque ad quartum gradum; et vicissim, si maritus ante summationem matrimonii decedat e vita, uxor invalide contrahat cum ejusdem consanguineis usque ad quartum gradum. Quod antem *Trid. l. c.* restringens hoc impedimentum ad primum gradum, loquatur tantum de sponsalibus de futuro, patet ex motu proprio *Pii V. Ad Romanum spectat*, ubi ita: *Idcirco motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium declaramus et definimus, decretum Concilii (scil. Tridentini) hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic (ut praefertur) contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure*

veteri ante praedictum decretum Concilii introductum erat. Atqui olim hoc impedimentum ortum ex matrimonio rato impediēbat et dirimebat contrahendum usque ad quartum gradum inclusive, etiamsi matrimonium, ex quo ortum erat impedimentum, irritum fuerit ex quacumque causa, modo non fuerit invalidum ex defectu consensus; ergo etiam nunc sic dirimit. *Neque dicas*: nullibi extat clarus textus, quod hoc impedimentum se extenderit olim ad quartum gradum. R. Extat tamen clarus textus in c. *non debet*. 8. de consanguinitate, de impedimento affinitatis usque ad quartum gradum, quam imitatur publica honestas, et propterea simile hoc impedimentum communis Doctorum sententia et praxis extendit pariter usque ad quartum gradum inclusive. Notandum tamen, quod hoc impedimentum non agat retro, ut dictum fuit n. 1154. Sic Sempronius, postquam contraxit sponsalia de futuro cum Berta, dum contrahit sponsalia nova cum Barbara sorore Bertae, invalide contrahit cum Barbara propter impedimentum publicae honestatis ortum ex primis sponsalibus ex supposito validis: secunda tamen sponsalia invalida non irritant praecedentia, quia non agunt retro. Vide c. un. de spons. in 6.

Applicatio principii.

Simon contracto cum Sophia matrimonio infirmatur, et post aliquot dies, matrimonio necdum consummato, moritur: anno elapso vidua Sophia nubit Severino, nepoti materterae Simonis. Post plures annos audiens explicari impedimentum publicae honestatis valde angitur in conscientia.

1328. Q. I. An validum fuerit hoc matrimonium secundum? R. *Negative*, quia Severinus cum Simone marito Sophiae erat in tertio gradu consanguineus: ideoque debet peti dispensatio, si separatio cederet in grave damnum conjugum, prolium, et simul in publicum scandalum. Interim pars conscia impedimenti deberet abstinere a petitione debiti: proles tamen prius genitae censentur legitimae, quia parentes fuere in bona fide.

1329. Q. II. An hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus ficte contractis? R. *Negative*, quia *Trid.* sess. 24. c. 3. de reform. matrim. generaliter iustitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia, quaecumque ratione valida non erunt, prorsus tollit, non distinguens inter causam nullitatis internam vel externam, occultam vel publicam: ergo. Ita *Palao*, *Wiestner*, *Schmalzgr.* et alii contra *Henriq.*, *Barthol.*, *Ledesma*, et alios.

1330. Q. III. An hoc impedimentum dissolutis mutuo consensu sponsalibus cesset? R. Non cessat. Ita communis post declarationem S. Congreg. Card. C. *Trid.* Interpr., quam refert *Fagnanus* in c. *ad audientiam*. 4. de spons. contra *Barb.*, *Hurtad.*, *Sà* et alios, quam declarationem in legem Pontificiam abiisse, postquam a summo Pontifice approbata fuit, tenet *Schmalzgr.* hic. n. 115.

1331. Similiter nec cessat hoc impedimentum per mortem unius, alteriusve sponsorum, sicut nec cessat affinitas, ut habetur expresse in c. *si quis*. 1. de eo, qui cognovit., *ibid.* c. *veniens*. 2., *Gobat* tr. 9. c. 15. n. 370. et seq.

1332. Q. IV. An vitricus ducens uxorem privigni (de quo supra n. 1294.) impeditus fuerit iustitia publicae honestatis? R. *Negative*, quia hoc impedimentum solum contrahitur inter maritum et consanguineos uxoris, ac vicissim inter uxorem et consanguineos mariti, non autem inter maritum et affines uxoris, neque inter uxorem et affines mariti: vitricus vero non est consanguineus, sed affinis sui privigni, ac proinde neque affinitate, neque publica honestate impeditur, ne matrimonium contrahere

valeat cum ejusdem privigni uxore. Ita *Bened.* XIV. l. 7. de Synod. Dioeces. c. 39. n. 4.

1333. Q. V. An hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus conditionalis de futuro? R. Conditione nondum impleta, non sunt perfecta sponsalia: ergo nec inducunt hoc impedimentum. E contra, quando condicione impleta transeunt in absoluta, tunc inducunt hoc impedimentum. *Sporer* cum *Comm.* hic. n. 55., *Gobat* l. c. n. 369. Plura vide supra n. 1135. et seq.

§. XIV. *De impedimento aetatis.*

1334. *Principium generale.* Impedimentum aetatis provenit ex eo, quod quis praerequisitam a legibus ad matrimonium contrahendum aetatem necdum attigerit. Requiritur autem *regulariter* aetas pubertatis, h. e. ut masculus decimumquartum annum, foemella duodecimum compleverit. Ita ex c. *continebatur*. 6., c. *attestationes*. 10., et c. *ex litteris*. 11. de despons. impub. Dixi, *regulariter*; si enim malitia suppleat aetatem, ita ut adsit sufficiens discretio rationis, et potentia generandi, valet matrimonium ante aetatem jure praescriptam initum, juxta c. *de illis* 9., c. *puberes* 3. de despons. impub., quia tum saltem habet pubertatem naturalem, licet non legitimam.

Applicatio principii.

Terentianus tredecim annorum adolescens sponsalia contrahit cum Terentia undecim annorum puella: paulo post Parochum mendacis circumveniunt, ut crederet, ambos attigisse aetatem legitimam, ideoque eis matrimonium contrahentibus assistit.

1335. Q. 1. An Terentianus et Terentia licite, et valide contraxerint matrimonium? R. Illicite imprimis contraxerunt, tum in re gravi decipiendo Parochum, tum agendo contra grave praeceptum Ecclesiae, juxta c. 2. de despons. impub. Si tamen malitia suppleverit aetatem, valide contraxerunt. Ita expresse in cit. c. *de illis*. 9. de desponsat. impub., ubi *Alexand. III.* respondet: *Si ita fuerint aetati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris aetatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consensisse, cum in eis aetatem supplevisse malitia videatur.* Et in c. *puberes*. 3. eod. tit. *Isidorus* ait: *Certum est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest, et puerperae sunt, quae in annis puerilibus pariunt.*

1336. Q. II. An matrimonium, quod contrahunt impuberes ante pubertatem tam naturalem, quam legalem invalide, saltem habeat vim sponsalium de futuro? R. Probabilius affirmative, uti clare arguitur exc. fin. et ex c. un. de despons. impub. in 6. §. *Idem quoque.*

1337. Q. III. An dispensari possit, ut aliqui ante pubertatem naturalem, sive habilem ad generandum, contrahant matrimonium? R. *Affirmative*: quia hoc impedimentum a solo jure ecclesiastico introductum est; jure enim naturae ad valorem matrimonii plus non requiritur, quam consensus et corpora ad generandum habilia, nullo autem jure proxime habilia. Unde licet in ejusmodi contrahentibus sit aliqua impotentia, non est tamen perpetua ad generandum, sed cum tempore auferibilis; secus si certo constet de impotentia perpetua; ergo potest dispensari a summo Pontifice. *Confirm.* ex c. *ubi non*. 2. de despons. impub. *Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad aetatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, jungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.* Ergo *Nicolaus* Papa in cit. c. loquens

agnoscit, causam justam dispensationis posse admitti. Si quaeras, an si dubium sit, utrum malitia suppleat aetatem in ordine ad validum matrimonium, Episcopus possit id declarare? Respondet *Bened. XIV.* ad Poloniae Regni Primatem (litterae habentur in T. II. ejusd. Bull. p. 13. et incipiunt: *Magnae nobis*): *Episcopi ipsi et Ordinarii locorum jure suo pronuntiare possunt super ea quaestione, quae facti est, an scil. malitia, ut asseritur, aetatem suppleat, et consequenter matrimonii contrahendi licentiam impertiri valent: neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro majori actus solemnitate, et ne de contractus matrimonii hujusmodi validitate propter minorem aetatem haesitari contingat.... Siquidem Canonistae docent, cumulativum jus esse inter Apostolicam Sedem, et Judices ordinarios, cognoscendi et pronuntiandi de hac re, an scil. malitia suppleat aetatem; privativum vero Apostolicae Sedis jus esse concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum conjugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi vim, et naturam intelligat.*

§. XV. De impedimento ex clandestino matrimonio.

1338. *Principium generale.* Impedimentum clandestinitatis provenit ex eo, quod quis in loco, ubi Tridentinum est receptum, non contrahat matrimonium coram Parocho et testibus. Est autem hoc impedimentum ut dirimens introductum jure novo Tridentini sess. 24. c. 1. in decreto de reform. matrim. ubi ita statuitur: *Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annullat.* Ulterius citata verba Trident. vide supra n. 1178. Ideoque qui clandestine contraxerunt, non possunt matrimonialiter cohabitare sine novo legitimo contractu: pro novo autem illo contractu coram Parocho et testibus celebrando non indigent ulla dispensatione (ex supposito, quod nullum aliud subsit impedimentum), quia *Trid.* l. c. eos, qui clandestine contraxerunt, non inhabilitat ad simpliciter, sed ad sic, h. e. ad clandestine contrahendum. Ita *P. Kugler* tom. 2. de matrim. p. 4. n. 349. cum. *Vinc. de Justis.* Puniendi tamen sunt ita contrahentes, ut ibid. docet *Trid.* de his poenis juxta arbitrium Ordinarii infligendis. Vide *Kugel* t. 1. n. 920. et seq.

Applicatio principii.

Tharasinus e loco catholico, ubi Tridentinum promulgatum ac receptum est, se confert cum sponsa *Thecla* in locum acatholicum, ubi Tridentinum promulgatum non est, eo praecise animo, ut ibi matrimonium clandestinum contrahere possit, idque ibi contrahit coram praecone *Lutherano*, postea revertitur ad prius domicilium.

1339. Q. I. An hoc matrimonium sit validum? R. Non est validum, ut patet ex declaratione *S. Congreg. Cardin. Conc. Trident.*, quam confirmavit *Urbanus VIII.* 14. Aprilis 1627. per Breve speciale, quod refert *Lugo* in Respons. Moral. L. 1. dub. 36. et *La Croix* L. 6. p. 3. n. 712. Breve ita habet: *Urbanus VIII.* in futuram rei memoriam. *Exponi Nobis nuper fecit Vener. Frater Archi-Ep. Colon., quod habito nuper per eum ad Venerab. Fratres nostros S. R. E. Cardinales S. Conc. Tridentini Interpretes recursu supra infrascriptis dubiis, videlicet primo, an incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Conc. Trid. in puncto matrimonii est*

promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco sine Parocho et testibus matrimonium contrahere. Secundo, quid si eo praedicti incolae tam masculi, quam foeminae solo animo sine Parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutant? Tertio, quid si iidem incolae, tam masculi, quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut sine Parocho et testibus contrahant? Idem Cardinales ad primum et secundum, non esse legitimum matrimonium inter se sic transferentes ac transeuntes cum fraude: ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt, et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Et infra: Nos responsum, seu dubiorum praedictorum resolutionem hujusmodi auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus.

1340. Q. II. Quid? si sponsus spectet ad parochiam, in qua decretum *Trid.* est promulgatum, et sponsa ad parochiam, in qua non est promulgatum? R. Si matrimonium contrahatur sine Parocho et testibus in parochia sponsi, erit invalidum; si contrahatur in parochia sponsae, erit illicitum, sed validum, quia contractus quoad valorem pendent a legibus loci, in quo fiunt. Ita respondisse *S. Congreg.* testatur *Pignatelli* tom. 5. consult. 79. n. 22., *La Croix* L. 6. p. 3. n. 714.

1341. Q. III. Quid dicendum de matrimoniis illorum catholicorum, qui in locis acatholicis Principi subjectis sub gravi poena coguntur matrimonium contracturi acatholicum Ministellum adire, suumque in conjugium consensum coram eo praestare? Respondet *Bened. XIV.* L. 6. de Synod. Dioec. c. 5. n. 4.: *Certum utique est, ita initum matrimonium viribus carere, si inibi publicatum fuerit Tridentini decretum, nec consentientes veros conjuges fieri, nisi sive antea, sive postea, juxta praescriptam a Tridentino normam, matrimonium celebraverint coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote Parochi vices gerente, et duobus testibus. Sed difficultas tantum est, an postquam Tridentini sanctioni sunt obsecuti, aut ad eadem postea obsequendum sunt parati, licite possint etiam legibus patriae obtemperare, et coram heterodoxo Ministello se sistere.* Postea relatis variorum AA. sententiis ait, quod sacra Congregatio Sancti Officii die 29. Novembr. anni 1672. ad hanc quaestionem ita responderit ac definiverit: *Quatenus minister assistat matrimoniis catholicorum, uti minister politicus, non peccare contrahentes: si vero assistat ut minister addictus sacris, non licere, et tunc contrahentes peccare mortaliter, et esse monendos.* Ibid. n. 5. pergit: *Huic sacrae Congregationis sententiae nostram nos auctoritatem adjecimus, in nostra constitutione 89. §. 10. nostri Bullarii tom. 1. quae incipit: Inter omnigenas: ubi fidelibus degentibus in Regno Serviae, finitimisque regionibus interdiximus, ne, matrimonio inter se catholico ritu celebrato, illud renovare praesumant coram Caddi. Nostram tamen interdictionem hac temperavimus limitatione, nisi scilicet nuptiarum, caeremonia explenda coram Caddi, actus sit mere civilis, nullamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve superstitionis genus includat.*

Idem summus Pontifex in Instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta, et contrahenda (quae incipit: *Matrimonia* et habetur in ordine XXXIV, tom. 1. ejusd. Bullar. pag. 87.) declarat, statuitque, *matrimonia in foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dum-*